



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De
Imitatione Christi Libri Quatuor**

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

Cap. I. De Imitatione Christi, & contemptu omnium vanitatum mundi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](#)



DE

IMITATIONE CHRISTI

LIBER PRIMUS.

Admonitiones ad spiritualem vi-
tam utiles.

CAPUT I.

*De Imitatione Christi, & contemptu
omnium vanitatum mundi.*

QUI sequitur me , non am-
bulat in tenebris : dicit
Dominus. Hæc sunt ver-
ba Christi , quibus admo-
nemur , quatenus vitam ejus & mo-
res imitemur , si velimus veraciter
illuminari , & ab omni cæcitate cor-
dis liberari.

Summum igitur studium no-
A strum

2 De Imitatione Christi
strum sit, in vita J E S U Christi me-
ditari.

2. Doctrina Christi omnes do-
ctrinas Sanctorum præcellit : & qui
spiritum haberet , absconditum ibi
manna inveniret.

Sed contingit , quod multi ex fre-
quentia auditu Evangelii parvum de-
siderium sentiunt : quia spiritum
Christi non habent.

Qui autem vult plenè & sapidè
Christi verba intelligere ; oportet,
ut totam vitam suam illi studeat
conformare.

3. Quid prodest tibi , alta de Tri-
nitate disputare : si careas humilita-
te , unde displiceas Trinitati ?

Verè , alta verba non faciunt san-
ctum & justum : sed virtuosa vita
efficit Deo charum.

Opto magis sentire compunctionem ,
quam scire ejus definitionem.

Si scires totam Bibliam exterius ,
& omnium Philosophorum dicta:
quid totum prodeisset sine charitate
Dei & gratia ?

Vanitas vanitatum , & omnia va-
nitas

nitas, præter amarē Deum, & illi soli servire.

Ista est summa sapientia , per contemptum mundi tendere ad regna cælestia.

4. Vanitas igitur est , divitias per rituras quærere, & in illis sperare.

Vanitas quoque est , honores ambire , & in altum statum se extollere.

Vanitas est, carnis desideria sequi: & illud desiderare , unde postmodum graviter oportet puniri.

Vanitas est, longam vitam optare, & de bona vita parum curare.

Vanitas est, præsentem vitam solum attendere : & quæ futura sunt, non prævidere.

Vanitas est , diligere quod cum omni celeritate translit : & illuc non festinare , ubi sempiternum gaudium manet.

5. Memento illius frequenter proverbi: quia non satiatur oculus vi- su , nec auris impletur auditu.

Stude ergo cor tuum ab amore visibilium abstrahere , & ad invisibilia te transferre.

Nam sequentes suam sensualitatem, maculant conscientiam, & perdunt Dei gratiam.

C A P U T II.

De humili sentire sui ipsius.

OMNIS homo naturaliter scire desiderat; sed scientia sine timore Dei, quid importat?

Melior est profectò humilis rusticus, qui Deo servit; quam superbus Philosophus, qui se neglecto, cursu cæli considerat.

Qui benè seipsum cognoscit, sibi ipfi vilescit, nec laudibus delectatur humanis.

Si scirem omnia quæ in mundo sunt, & non essem in charitate: quid me juvaret coram Deo, qui me judicatus est ex facto?

2. Quiesce à nimio sciendi desiderio; quia magna ibi invenitur distractio, & deceptio.

Scientes libenter volunt videri, & sapientes dici.

Mul